



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1705**

Titulus XVI. De Sacramentis non iterandis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

de Natalis Domini: & si præsens in Urbe sit, in Officio matutino lectionem VII. sub Evangelio, *Exiit editum à Casare Augyflo*, publicè decantet: imò à Canonicis S. Petri & S. Joannis Lateranensis Romæ, & à variis Ecclesiis in Germania in Canonicum recipi, perhibeatur à Castaldo de Imperat. cap. 29. n. 4. cit. Azor q. 3. in fine & Herm. n. 10. Unde, unctio & consecratione Imperatoriâ sacrum Subdiaconatus Ordinem conferri, vulgi & nonnullorum etiam DD. sed vana persuasio & error est; quia hujusmodi prærogativæ Imperatori specialiter conceduntur, non ratione alicujus Ecclesiastici Ordinis istiusque collatione acceptæ spiritualis potestatis, sed intuitu advocacionis ac defensionis Ecclesiæ, ex proprio munere ipsi competentis. Hinc certè ei, Subdiaconi vel Diaconi more vestito, in manus traditur ensis; ut se non ad Imperii duntaxat Romani, sed Ecclesiæ quoque tuitionem, ad coercionem rebellium Fideique & Religionis Catholicæ hostium debellationem ac profligationem vocatum, intelligat, & unctio Sacra confirmatum.

64. Quare melius Imperatori Ordinem

& Characterem solum militare adstruit Glossa *fin. in can. Valentianus 3. dist. 63.* eumque cum Nicolao Papa *can. Ubi nam 4. Sc. dist. 96.* laicis accensent Panormit. *in c. Per Venerabilem cit. n. 6.* Azor q. 3. cit. & alii; quòd non appareat, quâ ratione Sub-vel Diaconatus Ordo sacer adstrui ei possit; cum neque conjugatus ad sacrum Ordinem, *c. fin. de Temp. Ordin. in 6. Sc. c. Conjugatus 5. de Convers. conjug.* neque sacro Ordine initiatus ad contractum matrimonialem admittatur, *c. 1. de Cleric. conjug. c. 1. c. Ut literarum 2. Qui cleric. Sc. vovent. Sc. c. Unico de Voto in 6.* compluribus autem post unctioem & consecrationem Imperatoriam contraxisse matrimonium: & post hoc contractum ratumque & consummatum in Imperatores unctos & consecratos fuisse, sit exploratum.

65. Septimè denique, unctio Sacra adhibetur in consecratione Ecclesiæ vel Altaris & benedictione calicis, juxta morem Ecclesiasticum, acceptum à B. Sylvestro, qui altare lapideum consecrans id Christumate perunxisse perhibetur, *Umic. cit. 5. Uigitur: de qua unctio sermo redibit Lib. 3. Tit. 40.*



## TITVLVS XVI.

### De Sacramentis non iterandis.

#### SUMMARIUM.

1. Ratio ordinis.
2. Ecclesie Sacramenta iterabilia sunt:
3. Exceptis iis, quæ imprimunt Characterem;
4. Scilicet Baptismi,
5. Confirmationis,
6. Et Ordinis Sacramentis:
7. Etiam si ista fide suscepta sint.
8. In iis tamen omisus ritus suppletur, si accidentalis:
9. Si substantialis sit, Sacramentum de novo conferunt.
10. Casus

Tt 2

10. *Cajus adhiberi Chrismate, confecti ex oleo & balsamo merè artificiali :*
11. *Cujus usus non obstat valori Sacramentorum ;*
12. *Ut neque Baptizatorum Confirmationem,*
13. *Neque Episcopalem Consecrationem vel Ordinationem Sacerdotalem iterari sit necesse ;*
14. *Sive Jus sive ratio spectetur.*
15. *Veri etiam balsami defectum suppleri necesse non est.*
16. *Quando is suppleri sine scandalo aliisve in commodis publicis non potest.*

1. **E**jusdem Ordinationis occasione subjiciuntur Sacramenta, quorum iteratio interdicta : & ea præsertim, quorum Minister solus vel saltem Ordinarius est Episcopus consecratus.

2. Ex septem itaque novæ Legis à Christo Domino nostro institutis Sacramentis, juxta definitionem S. Synodi Tridentinæ *Sess. 7. can. 1.* quatuor, scilicet Eucharistiam, Pœnitentiã, Extremã Unctionẽ & Matrimonium iterari posse, res apud Orthodoxos omnes est indubitata : & de Eucharistia ex *can. Quotidie 12. can. Est 15. Sc. dist. 2. de Consec. de Pœnitentia ex can. Omnis utriusque 12. de Pœnit. & remiss. & Trident. Sess. 14. cap. 2. de Pœnit. de Matrimonio ex can. Aperiant 11. cum seq. 31. q. 1.* de omnibus his, & ipsã etiam Unctione extremã, constat ex perpetuo & universali usu sensûque Ecclesiæ, etiam postremum hoc Sacramentum iterari, sicut eodem morbi periculo durante prohibentis, sic eò sublatò & morbo, peritorũ judiciò novò, adveniente permittentis : licet inter utrumque differ imen non multum temporis interce-

dat, ut cum D. Thoma in 4. dist. 23. q. 2. art. 4. Sylvestro V. Unctio q. 8. aliisque DD. tradit Laiman *Lib. 5. tract. 8. cap. 4. in fine.*

Reliqua verò tria, scilicet Baptismum, Confirmationem & Ordinem iterari sine sacrilegio non posse, ab eadem S. Synodo definitum est *cit. Sess. 7. can. 9. & à Concilio Florent. in Decreto Fidei S. Quintum.* Cujus inter Sacramenta differentie ratio redditur *can. cit.* quod posteriora hæc Sacramenta in anima imprimant Characterem, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile. Cujus ulterior ratio est; quòd hæc tria Sacramenta non tantum sint remedium peccati : sed etiam immediatè & directè ordinentur ad cultum divinum, cui per ipsa homo immutabiliter auctoratur & consignatur. Per Baptismum quidem tanquam ab infidelibus segregatus servus Christi & domesticus Dei. Per Confirmationem tanquam miles Christi ad constituendam tuentemque ejus Fidem deputatus. Per Ordinem tanquam deputatus minister Dei & superiorum Dei dispensator, secundum doctrinam D. Thomæ in 3. p. q. 63. art. 10. in C.

Id ipsum in specie de Baptismo loqui sumi etiam solet ex illo Apolloli, *Act. Dominus, una Fides, unum Baptisma.* Ephel. *cap. 4. v. 5.* ex Symbolo, quod ultimum dicitur à S. Thoma 2. 2. q. 1. art. 4. ad 6. ibi, *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum :* & diserte ab eodem Tridentino traditur *Sess. cit. can. 10. de Baptismo,* ubi etiam ejus, qui fides Christi negavit, conversi baptismum iterandum asserentes anathemate feriuntur.

Ratio autem specialis siue potius congruentia hujus Unitatis est partim; quòd Baptismus sit spiritualis quædam generatio siue nativitas; ac proinde, sicut hominum materum iterum materum repetere & corpora-  
liter re-

liter renasci non potest, ita conveniens non fuerit, ut iteratò baptisimò spiritua-liter renasceret, ut cum S. Augustino *Tract. 11. in verba Nicodemi, Nunquid potest homo in ventrem matris sue iteratò introire & renasci?* Joan. cap. 3. v. 4. advertit S. Thomas *cit. q. 2. art. 9.* partim verò; quòd baptisimi lavacrum principaliter institutum sit, ad delendam maculam peccati Originalis, quod unicum est, semelque ablatum iterum non contrahitur; ut idcirco ejus remediò iterabili non fuerit opus, præsertim cum pro relapsis in peccata actualia Pœnitentiæ iterabile Sacramentum fuerit institutum, ut cum Alensi *p. 4. q. 23. n. 71.* notat Laiman *cit. lib. 5. tract. 2. cap. 5. n. 2.*

5. Idem de Confirmationis & Ordinis Sacramentis habetur *can. 1. §. Quod ergo post can. Presbyter 2. dist. 68. can. Dicitur 7. can. De homine 8. dist. 5. de Consec. & tradidit S. Augustinus: qui de illo Lib. 2. contra Epistol. Petiliani cap. 104. expressè ait, sicut baptismum, sic & Confirmationem, iterari non posse: de isto verò sive Ordine Lib. de Bono conjug. cap. 24. Manet, inquit, in Ordinatis, & si aliquà culpâ quispiam ab officio removeatur, sacramentò Ordinis impositò non carebit, quamvis ad judicium permanente.*

7. Neque obstat; quòd Baptisimi lavacrò ablutus homo, saltem adultus aliquando, cum scilicet malâ suâ dispositione suscipiendæ gratiæ obicem ponit, Christo non renascatur; quia etiam hoc casu Baptisimi iteratione non est opus: neque ei etiam locus est; cum ejus valor & infusio sive impressio Characteris non pendeat à suscipientis prava dispositione, gratiam & Charitatem per illum obtinendam impediende: atque idcirco, hâc ejus indispositione per Fidei & Pœnitenti-

tiæ actus sublatâ, ex Baptisimi prius suscepti vi perfectè renascatur Christo, & gratiam Baptisimalem, plenamque omnium peccatorum remissionem consequatur perinde ut, si illum ritè dispositus accepisset, ut cum D. Thoma *3. p. q. 69. art. 10. & S. Bonaventura in 4. dist. 4. art. 1. q. 3.* rem hanc explicant Sotus *in 4. dist. 6. q. 1. art. 8. & Valquez 3. p. disp. 161. cap. 2.* licet illud sacrilegæ indispositionis peccatum cum aliis post Baptisimum commissis post remotum obicem sacramentaliter confiteri teneatur, ut aliis DD. allegatis tradit *cit. Laiman cap. 6. n. 5.*

Neque etiam Catholicæ de Confirmatione veritati, aut sibi ipsi adversatur S. Augustinus, dum *can. Manus 1. q. 1. Manus*, inquit, *impositio* (quò nomine Confirmationis Sacramentum venit, *c. Unic. §. Per frontis de Sacra Unct.*) non, sicut Baptismus, repeti non potest; quid enim est aliud, quam oratio super hominem; quia textus iste, ne ante relata doctrinæ suæ S. Ecclesiæ Doctor adversetur, cum Glossa *marg. in can. cit.* exaudiendus non est de Confirmatoria vel Ordinatoria, iterationi ex ipsius etiam mente non obnoxii: sed de iterabili manuum impositione, vel Curatoriâ, quâ infirmi curabantur, Marci *cap. ult. v. 18.* vel Deprecatoriâ, quâ Catechumeni ad Baptisimum suscipiendum præparabantur, secundum eundem S. Doctorem *Lib. 2. de Peccat. merit. cap. 26.* vel potius Reconciliatoriâ, quâ post Baptisimum in hæresin lapsi & pœnitentes Ecclesiæ reconciliabantur, & divinus Spiritus pro eis evocabatur, *can. Pœnitentes 97. & seq. dist. 50.* hujusmodi enim manuum impositiones, quid aliud sunt, quam Orationes super hominem? ut cum Bellarmino & Suarez rem hanc explicant *cit. Laiman tract. 3. cap. 4. n.*

T t t 3 2. &

2. & Palao *Tract. 20. disp. unic. p. 6.*

n. 4.

Quantumvis autem Baptismus, Confirmatio & Ordo Characterem imprimant, & propterea nequeant iterari, nihilominus, si quid in ipsorum administratione per oblivionem aut errorem commissum est, postea suppleri potest ac debet, *c. Unic. cit. pr. c. 1. & c. fin. hlc.*

3. Qua in re tamen opus est aliquâ distinctione; vel enim commissum est aliquid substantiale, v.g. mersio aut affusio aquæ in Baptismo, unctio in confirmatione, in collatione Ordinis Sacerdotalis traditio calicis cum vino aut patenæ cum pane, & impositio manuum cum verbis, *Accipe Spiritum sanctum &c.* vel aliquid solummodo accidentale, sicut contingeret, si in Baptismo omitterentur Exorcismi, insufflationes, inunctiones aliæque similes ritus: si in Confirmatione pro Chrismate oleum duntaxat adhiberetur &c.?

Si posterius hoc, & accidentalis quidem, sed Ecclesiasticò præceptò introducta & communi ac stabili Ecclesiæ usu recepta notabilis solennitas incautè omissa sit, eam cautè supplendam, Regulæ instar *ex c. c. cit.* desumunt Sylvester *V. Ordo 2. n. 10.* Angelus *V. Ordo 2. n. 7.* Sotus *in 4. dist. 24. q. 1. art. 4. V. Hinc sit.* Vivianus *in c. 1. & c. fin. cit.* Sanchez *Lib. 7. Const. dub. 13. n. 3.* Diana *p. 12. tract. 1. res. 50. V. Sed ad Palao Tract. 27. disp. unic. p. 4. n. 10.* & Gonzalez *in c. fin. cit. n. 8.*

9. Si prius, & substantiale aliquid commissum est, non hoc tantum supplendum: sed eò ipsò, quòd ejus omissione collatum Sacramentum invalidum sit, omnibus substantialibus iterum adhibitis, denuo conferri debet ac potest sine iteratione, *can. Solennitates 16. dist. 1. de Consec.* quia tali casu non ipsum Sacra-

mentum, sed aliquorum duntaxat substantialium prius sine effectu facta positum iteratur; neque enim intelligitur iterum, quòd ambigitur esse factum, *can. cit. c. 1. & c. fin. de Presb. non baptiz.*

Neque adverstatur; quòd *c. fin. cit.* supplenda dicatur manuum impositio, missa in Ordinatione Sacerdotis; quia illud accipiendum est de impositione manuum, non Consecratoriâ, quæ calicis ac patenæ traditionem subsequitur adhibitis verbis, *Accipe Spiritum sanctum &c.* & essentialiter requiritur ad presbyteri ordinationem: sed de Benedictoriâ tantum, quæ dictam traditionem antecedit, & ritus est accidentalis. Ita *in c. cit.* Innocent. *Panorm. n. 2.* & Barbosa *n. 1.* præ quorum intellectu placet interpretatio tradita à Palao *Tract. 27. disp. unic. p. 4. n. 8.* aliter *c. cit.* non iterandam dici Ordinationem Sacerdotis, quæ ille accepit potestatem in Corpus Christi Verum sive consecrati, quæ fit per impositionem manuum & subsequentem calicis ac patenæ traditionem; cum hac sine potestate ligandi ac solvendi consistere valeat: sed tantum supplendam sive subjiciendam manuum impositionem subsequentem, per quam & verba, *Accipe Spiritum sanctum*, traditur potestas in Corpus Christi Mysticum, sive solvendi ac ligandi; quæ licet ad prioris Ordinationis substantiam non pertineat, istam tamen, sive potestatem in Corpus Christi Verum, sine posteriori hac absolvendi potestate consistere valentem, essentialiter præsupponit, eique addita integram & ex duobus partialibus perfectam Sacerdotis Ordinationem complet: quam posteriorem *c. fin. cit.* expositionem etiam ampliè sunt Gonzalez *in c. fin. cit. n. 10.* & Engel *ad hanc Rubr. n. 6.*

Ex iis, quæ ad hanc & præcedentem Rubricam deducta sunt, lucem non modicam

modicam accipit tergemina eaque gravissima dubitatio, nuper nata occasione Chrismatis confecti ex oleo olivarum & balsamo, non Naturali, sive Syriaco Palæstino aut Indico: sed merè Artificiali, in officina Pharmaceutica variorum aromatum, seminum & herbarum suaviter olentium mixtione vel decoctione confecto; cum enim tale Chrisma in Episcoporum Consecrationibus, Ordinationibus presbyterorum, & baptizatorum Confirmationibus multis annis adhibitum, ipsius pharmacopolæ relatione innotuisset, in

11. Dubium & quæstionem venit primò ejusmodi Consecrationum, Ordinationum & Confirmationum valor: cujus resolutio factis expedita est ex dictis; cum enim unctio Chrismatica de Ordinationis Sacerdotalis, & ipsius etiam Episcopalis Consecrationis substantia non sit, ut *ad Rubric. preced. n. 30. & n. 39.* & de substantia Chrismatis balsamum non sit, ut ibidem *n. 9.* est dictum, ejusmodi actionum spiritualium valori obesse non potuit balsamum Artificiale, quod oleo admixtum in Episcoporum presbyterorum & baptizatorum unctionibus Chrismaticis adhibitum fuit.

12. Dubium secundò motum est de ejusmodi actionum spiritualium iteratione. Et ob veri quidem balsami defectum baptizatorum Confirmationem non iterandam, liquet ex rescripto Innocentii relato *c. 1. cit.* idemque exploratum est de Ordinatione presbyterorum; quòd juxta dicta *cit. n. 30.* unctionem Chrismaticam ejus non substantialem, sed accidentalem duntaxat ceremoniam esse, nemo facilè in dubium vocet.

13. An ob eum veri balsami defectum etiam Consecrationes Episcoporum, & consequenter ab hujusmodi Episcopis Chrismate, ex oleo & balsamo mere Ar-

tificiali confecto, inunctis peractæ presbyterorum Ordinationes & baptizatorum ab eisdem Chrismate inunctorum Confirmationem iterari necesse non sit, dubitandi ratio minimè levis est; quòd, in dubio de valore, Episcopalis Consecratio & Sacerdotalis Ordinis collatio iteranda sit, ut ex communi aliorum T. T. sententia docent *cit. Sylvester n. 10. pr. Sanchez cap. 13. cit. n. 1. Diana Resol. 50. cit. Lugo Lib. 1. Respons. dub. 33. n. 4. & Gobat Experient. tract. 8. n. 185.* ex generali ratione; quòd in administratione Sacramentorum, præsertim eorum, à quibus ea suscipientium aut aliorum salus pendet, ut Baptismi, Consecrationis Episcopalis & Sacerdotalis Ordinationis sacramenta sunt, id, quod est tutius, sequi oporteat, *c. fin. ibi, In hoc dubitabili, Baptismi & Ordinationis Sacerdotis, casu, quod tutius est, sequentes, de Presb. non baptizato;* cum à Baptismate salus suscipientis, & à Consecrationis Episcopalis valore Ordinum ab Episcopis collatorum, & à Sacerdotalis Ordinationis valore pendeat valor absolutionum Sacramentalium ab ordinatis collatarum: in proposito autem casu de Consecrationis Episcoporum & consequenter etiam ab his peractarum Ordinationum & Chrismationum valore dubium sit; cum non desint & *ad Rubric. preced. n. 8. & n. 34.* allegati sint graves DD. qui Balsamum verum de Chrismatis, & de Consecrationis Episcopalis substantia unctionem Chrismaticam esse, verisimiliter sustineant.

Sed rationi huic prævalent decisiones SS. Pontificum, sicut *c. 1. cit.* Confirmationis propter defectum Balsami, sic etiam *c. Unic. cit. pr.* ob Chrismaticæ unctionis defectum Consecrationis Episcopalis, & consequenter ab Episcopo ita consecrato aliàs ritè collatæ Ordinationis Sacerdo-

14.

Sacerdotalis iterationem non exigentium, hoc ipso; quod in confirmato solius balsami defectum & in consecrato Episcopo solam Chrismaticam unctionem iusserint suppleri, luculentò argumentò valoris, talium Sacramentorum iterationem non admittentis; cum Sacramentorum Characterem imprimendum iterationi locus non sit casu, quò Ecclesiasticò tantum præceptò introductum aliquid, sicut in Episcopi Consecratione Unctio Chrismatica, & in baptizati Confirmatione balsamum est, incaute omissum fuit; quia tali casu illud solum, ponè prætermisum est, cautè suppleri debet, *c. Unic. cit. pr. c. 1. c. fm. cit. & c. Unic. de Clerico per sal. promotò, Sylvester, Angelus, Sotus, aliique DD. cit.* Unde

Pro iterationis necessitate deducta ratio penitus evanescit; quia Sacramenti Characterem imprimendum iterationi locus eò solum casu est, quò ejus administratio ob aliquis substantialis defectum certò invalida, aut ejus valor dubius est, *can. Daybertum 24. cum can. seq. 1. q. 7. can. Solemnitates cit. & c. fm. cit. de Presb. non baptiz.* quòd de hoc solo casu procedat ratio, *Iterarum non intelligitur, quòd factum nescitur, ec. cit.* Consecrationis autem Episcopalis sine unctione Chrismatica, & Confirmationis sine Balsamo peractarum neque nullitas certa, neque valor dubius est; cum pro validis habeantur à Jure, *pr. c. 1. & c. fm. cit.* proditò, & DD. pro nullitate militantium Opinioni prævalente. Sed hinc ortum

15. Dubium tertium erat, de Chrismatica unctionis in Episcopis & veri Balsami in confirmatis suppletione: cuius necessitatem, lege Ecclesiastica impositam, desumitur ex *c. Unic. cit. pr. c. 1. & c. fm. cit. hic*, quorum textu primò Innocentius III. super Consecra-

tione Archiepiscopi Trinitati, designati Bulgaria Primatis, sine Sacra unctione peractà consultus, *Quòd defuerat, mandavit in ipso suppleri, faciendo caput ejus & manus per Episcopum Albanensem, assistentibus ei duobus Episcopis, secundum morem Ecclesiasticum sacri Chrismate deliniri.* Simili modo, si manibus impositio in collatione Ordinis Presbyteratus vel Diaconatus omissa, vel in Confirmatione Oleum sine Balsamo adhibitum sit, Sacramenta quidem non iteranda: sed id, quòd incaute & per errorem fuerat prætermisum, cautè suppleendum, rescripsere idem Innocentius & Gregorius IX. *c. 1. & c. fm. cit.*

Verum, etsi hæc ita sint, in casu tamen proposito, sicut nullus locus iterationi, sic opus non esse suppletione, à sede Apostolica super hac re consulto responsum; & hæc etiam omittenda gemina ratio persuadet.

Una est; quòd neque in Consecratione Episcoporum & Ordinatione Sacerdotum unctio Chrismatica, ut *pr. cit.* neque, ut *c. 1. cit.* in baptizatorum Confirmatione, balsamum sit prætermisum; cum balsamum artificiale adhibitum sufficere videatur; partim quòd hinc præter aromatica alia etiam verum balsamum admisceri solet & conservantur in Ecclesia Orientali, ut ex istius Eucharistia constat: partim verò; quòd Chrismata ex Oleo & Balsamo artificiali perinde, ut ex Oleo & vero Balsamo confectum, conducatur ad significandum misericordiam conscientiam & bonæ famæ odorem, ad quos effectus spirituales specialis gratia Sacramentalis datur, & per Chrismaticam unctionem significatur, *c. Unic. cit. §. Ad exhibendum & Concil. Florent. in Decreto Fidei §. Secundum* ut rectè advertit Card. de Lugo *Lib. 1. Respons. dub. 3. n. 4.*

16. Altera & præcipua; quia ex una, ad fidelium scandalum aliâque incommoda publica evitanda, receditur à Jure; ut, quod aliàs non permittitur, concedi, *can. 1. dist. 95. & c. Deus 11. de Vita & honest.* & contra omitti valeat ac soleat, quod aliàs de Jure Humano fieri oporteret, *can. 1. dist. 51. & c. Cum teneamur 6. de Prab. & dignit.* eâque in re vel maxime multitudini solet deferri, *can. Ut constitueretur 25. in fine dist. 50. c. Sanè 2. de Temp. Ordinat. & c. Quod dilectio 3. de Consang. & affinit.* ex altera verò parte, veri balsami suppletio in proposito casu sine gravi fidelium scandalo, Religionis Catholice apud vicinos hæreticos ludibrio aliisque incommodis publicis, & ne cum his quidem, fieri potest propter multitudinem personarum, in quibus illius defectus supplendus esset; cum non solum in Episcopis, sed in sacerdo-

tibus quoque tam Regularibus quam Secularibus, qui plurimi: & in fidelibus confirmatis, qui innumeri & per varias civitates, oppida, diœceses ac provincias late dispersi sunt, Suppleri deberet. Quod cum sine scandalo aliisque incommodis publicis fieri nequeat & moraliter impossibile sit, suppletionem illam, licet aliàs de Jure faciendâ esset, omitti est necesse; cum ob similem causam Exorcismi aliæque solennitates, ex Ecclesie præcepto & universali usu in Baptismo receptæ, in hæreticis ad Ecclesie gremium reductis & in multis locis in infantibus, casu necessitatis urgente, ab obstetricibus baptizatis non suppleantur, *Laiman Lib. 5. tract. 2. cap. 8. n. 10. aliisque tali causa urgente omittendas censet Quintanaduen. Tract. 6. singul. 2. n. 5.*



## TITVLVS XVII.

### De Filiis Presbyterorum Ordinandis, vel non.

**B** Ordinandorum & Præficiendorum qualitatibus transimus ad Canonica illorum impedimenta sive Irregularitates, ortas ex aliquo defectu: & imprimis quidem Natalium, quò laborant illegitime nati & præ aliis Filiis Presbyterorum aliorumque clericorum; cum istorum Filij etiam legitimi, ante sacram Ordinationem suscepti, à quibusdam beneficiis repellantur,

#### ARTICVLVS I.

### De Illegitimorum ad Ordines & Beneficia incapitate.

#### SUMMARIUM.

1. Hos ab Ordinibus & beneficiis removendi ratio.
2. Ab

lluu

2. Ab